

SCHEDIASMATIC,  
DE NULLA PER  
**EQVULEUM**  
 EXPRIMENDA  
**ANIMI SENTENTIA,**

Caput prius HISTORICUM.  
*Quod cum consensu ampliss: Facult: PHILOSOPH.*  
 PRÆSIDE  
 VIRO CL.

**DN. ALGOTHO A.  
SCARIN,**

Histor. & philosoph. civil. Profess ordin.  
 ad publicum examen  
 modeste detert

**CAROLUS GUST. MELARTOPOEUS**

*Austro Finlandus*

Ad diem IV. Julii, Anni 1744.

ABOM, excud. Joh. Kiæmpe Reg. Acad. Typgr.

Muneris nobilitate & eminentia inclito Viro

D<sub>N.</sub> ANDREÆ JOH.  
HAGERT,

In dicasterio Regio magni ducatus Finlandie AD-  
SESSORI consultissimo,

MÆCENATI & PATRONO meo colendissimo,

Maxime reverendo as-

D<sub>N.</sub> GREGORIO

Lingg. Orientis Pro-  
Pastori parochiae in  
Mæcenati

Dubia cum me teneret mens, chartaceum hocce munus  
favoris & benignitatis Vestrae, quæ omnes in Mu-  
nitione. Hinc arripui ansam, hancce opella<sup>n.</sup> Magnis Vestris  
nigritate illam benevole excepturos, nec tam tenuitatem oblate  
salutare umbrinam vestram accedentem, quam ut obseruantiam pro-  
accipere, meque postbac favore Vestro prosequi dignemini,  
florentes omni felicitate quam diutissimè, reipublicæ

SUMMORUM NOMI-

humillimus

C. G. ME-

VIRO maxime reverendo atque celeberrimo

# DN. JOHANNI WALLENIO,

S. S. Theol. Doct. & Profess. Reg. & ordin. PASTO-  
RI eccles. Fenn. Aboens. gravissimo, utriusque con-  
sistorii ad Auram *Ad secessori et quivissimo.*

MÆCENATI OPTIMO

que amplissimo VIRO,

# STENMAN,

fess. Reg. & ordin.

Pæmar vigilantissimo,  
propensissimo,

qvorum consecrare in nominibus; subibat animum cogitatio-  
rum castris militantes prosecuti estis, & in dies prosequi-  
Nominibus dicandi, confidens Vos, pro singulari Vesta be-  
rei quam animum offerentis estimatueros, non alia intentione  
fiteatur suam. Ne itaque crafforis fili munuscum hocce  
quæ par est pietate & observantia obsecro! Deus O. M. Vos  
emolumento, superesse patiasur, sic precatur

NUM VESTORUM

cliens

LARTOPOLUS.

Viro admodum reverendo atque preclarissimo

Dn. ISACO ROSS.

S. S. Theol. Adjuncto academiæ Aboensis, Pastori in  
Nådendahl / Reso / & Merimasko v. igilantissimo, pa-  
tronoo certissimo, qvovis observantie cultu ad cineres  
usqve devenerando.

Admodum reverendo & preclarissimo.

Dn. Mag. JOHANNI WANÆO,  
Pastori in Ørivesi dignissimo, fautori & evergetæ  
omni honoris genere pro  
seqvendo.

Plurimum reverendo & clarissimo

Dn. GUSTAVO ROTHOVIO,  
In Pelkæne Pastori meritissimo, evergetæ qvavis ob-  
servantia venerando.

**M**inime dignum esse opusculum hocce, quod Lyncea Ve-  
men favoris memoria longe gratissima, ut & spes e-  
clientum, illud qvalecunque sit, vobis offerrem. Favete itaque  
non minimam partem in sinu Vestro positam esse noveritis.  
nacta fuerint complementum, eademque cum illa, qvæ Poli

Nominum

Observantissi-

A. &

Viro admodum reverendo atque preclarissimo  
Dn. MARTINO MARTINIO,  
Praproposito & Pastori in Hauho & Tulois adcuratissimo,  
fautori & euergetæ æstatem de-  
venerando,

Viro plurimum reverendo atque clarissimo  
Dn. CAROLO MELARTOPOEO,  
Pastori in Ussela longe meritissimo, spatriuo carissi-  
mo & perinde honore & amore ad cineres  
usqve proseqvendo.

Maxime spectabili Viro,  
Dn. PETRO JUSLEEN,  
Dicasterii regii Aboensis Advocato gravissimo, a-  
vunculo meo pia mente colendo.

strorum oculorum lumina subeat, lubens fateor; pristini tæ-  
jusdem debinc obtainendi, me nibilominus impulerunt, ut more  
tam huic conamini, quam rebus & fortunis meis, qvarum  
Vivite felices, donec desideria qve bujis sunt soli, suus  
est, pérennis vita aurâ permutaveritis. Sic vovet

Vestrorum


mus eulor

R.

M. C. C.

Handelsmannen i Stapelstaden ABO  
Högwählachtade Herren  
Herr JOBST NICLAS SCHULTZ,  
Min Gunstige Synnare

**G**ån jag ej Ehr ömhet stora  
Vore vård at platt förlöhra /  
Om jag hoglöft lät framgå  
Detta tillfälle at utnämna  
Hvad Ehr vist mig tåkts har lämna:  
Och Ehr intet tänkte på ?  
Mera godt i mig beskrat/  
Kärleks flere profsödhrat/  
Om jag kan betahl' igen/  
Start jag mänd min fader saknas/  
Eder omsorg börja watna  
Om mig / och min lycka sen.  
Hvarsför til ett wördsamt minne/  
Detta illa ståmplat linne  
Afven Ehr jag räcker fram:  
Til at wijsa hogen lyser:  
Men åh matta kasten ryser  
Når jag ser den räcklig au.  
Men jag ver i then mottagen/  
Alt på förra wijs och lagen/  
Lät Ehr kärlek intet leds.  
At i lycka här må röna/  
Himlen sidst Ehr ewigt kröna!  
Danskar den sem lefver steds  
Högwählachtade Herr Handelsmannens  
Hörsommaste Lienare  
C. G. M.



## PRÆFATIO.

§. I.

**A**Rduam provinciam, eamque, quæ multum laboris atque temporis postularet, in me susciperem, si exutienda conscientia modos olim & hodie usitatos omnes attingerem, & quid de justitia atque injustitia omnium eorum sentiendum sit, judicium pro merito, meum interponere sustinrem. Hanc itaque fidem mihi veniamque expiro, liceat hac prima vice, quantum ætas juvenilis, ingenii & virium mearum imbecillitas perrittat, defungi saltem recensione quantulacunque severitatis pristinæ & hodiernæ, quâ latebras conscientia alienæ, quorum interest, explorare solent. Non ex mastaceo laurum aut ex re frivola laudem capto. Eqvulei in quæstionibus ambiguis usum

A

mult.

multi sunt, qvi iustum & legitimum: alii vero non pauciores numero, qvi, qvid in rem siet altius se introspicere putant, pro ejusmodi organo venditant, qvo incertum per æque incertum probandum venit omnino; examineqve finito illo, nil superest, nisi qvod tortorum patientiam utrinqve fatigaverit. id qvod cum idem sit, qvod in aëre piscari, a socialitatis fine digredi longius, imo naturæ humanæ qvoqve adversari, consentiunt plurimi. Cum verò argumenta, qvæ solenni in academiis consuetudine ventilari solent, problematicæ disceptationis ut plurimum sint & esse velint, differendi contationem hanc ipsam, præ cæteris, arenam elegi, in qva tørqueri latera, measqve, quantum fieri possit, vires in sublime cogere non in honestum putari. Tu modo Lector benevole, conatui, si tuæ non ubiqve respondeat exspectationi, ignoscas obsecro, & qvæ in nobis met desideraveris, e locuplete magis sinu benevolentiaz tuæ eruditonisqve supple. Cumqve procul a se invicem tendant & deflectant, in excutiendo hoc argumento, mentes eruditorum, alias & in aliis, qvæ recte stare solent; quam dif-

3

difficile musteo juveni mihi fuerit, inter tot sen-  
teniarum divertia nusquam impingere aut à  
viâ aberrare, Tecum ipse perpende.

§. II.

**A**B excutiendis & explicandis terminis, qvi  
rubrum dissertationis ipsum componunt, lubenter abstinerem, ad effugiendum censuram  
præposteram multorum, qvi *ociose criticae* con-  
vitio *philologiae* studium tantum non omne tra-  
ducere solent. Interim qvum sit vocabulum *E-  
quulei* prælentis tractationis caput, qvod dici-  
tur, atqve summa, idemqve apud auctores  
latinos diversimode accipi soleat adhiberiqve,  
qvid impræsentiarum nomine *equulei* notatum  
velimus, anteqvam ad rem ipsam perventum  
fuerit, paucis prælibare juvabit. Per *equuleum*  
vero intelligo tormenti genus omne, quo  
sceleris admissi conscientia mens frangi, & ad  
confessionem sui alienive delicti trahi solet ar-  
qve compelli. Sozomeno *tortorium*, aliis *ca-  
tasta* & *stipes noxialis* dicitur, nonnunqvm etiam  
*questionis* nomine venire moris est, idqve per ly-  
necdochen antecedentis pro consequente,  
qvod in inquisitione facti, cum *qvæstiones* &

4  
interrogationes non procedant, ad tormenta  
demum, ceu ultimum expiscandi veri remedi-  
um hocce, justitiae læse vindices venire soleant.  
Eqvulei apud veteres formam atque figuram,  
eiusque in mancipiis Romanis, cum ingeniosa  
eorum obstinatio expugnanda esset, principem  
& præcipuum usum fuisse, non est, ut multis  
designemus aut tabulis serum gestarum evictum  
eamus. Sufficiat dixisse eqvulum fuisse machi-  
nam ligneam, ad equi similitudinem fabricatam  
rotulis & tunibus instructam, qvibus impliciti rei  
divaricatis membris, pedibus puta brachiisque al-  
ligabantur, & ad rupturam usque compagis mem-  
brorum expandebantur; quæ si non simplex  
inquisitio proficeret ad illud obtinendum, qvod  
voluerunt, unguis bisulcis & cudentibus la-  
minis admotis intendebatur, donec frangere-  
tur pervicacia noxiorum; sed non crebro minus  
patientia illorum, qui criminis admissi nullius  
infamia laborabant. Ejusmodi vero torturæ ge-  
nus, cum inter cetera vexatissimum fuerit, pro-  
quocunque ad veri inquisitionem fori remedio  
violentio, apud auctores latinos promiscuè usur-  
pari, tralatitium est.

s. A.

§. III.

Facta in antecessum brevi expositione notio  
nis equitati, ad natales rigidi moris & tor-  
menti hujus respiciendum. Polydoro Vergilio Ni-  
modus primus torturæ inventor audit. In illa  
Hebræorum vetere republica eademque a Judi-  
cibus & regibus piè administratâ, nullum rece-  
pti instituti huius vestigium invenimus. Fuere  
Judaï dilectum DEO genus, sed satori & be-  
nefactori suo gens non alia magis inimica. In-  
stituit IPSE rempublicam eorum, juris & justitiæ  
Zelotes acerrimus. Media pervincendæ obstina-  
tionis, quâ præcipuè laborabant, pro ratione  
delicti, alia atque alia consecravit. In offens-  
ionibus, quæ ipsum immediate concernerent,  
sortes adhiberi voluit, quas præsens ipse direxit.  
In ordinariis vero judiciis, per tormenta veri  
exprimenti nullum mandatum dedit, nedum  
mentionem injectit. illud sine dubio facturus, si  
naturæ humanæ & rei indoli conveniens, idem-  
que ad obtinendum finem proportionatum in-  
strumentum vidisset. Occurrunt, non nego,  
exempla plurima instituti, per tormenta, pro-  
cessus inquisitorii, sub ipso novi fœderis dilu-

cuto. Jussit tribunus adduci in castra *Paulum*, ut in illum flagris inquireretur. Imo de Pilato constat, quod cum communi voce famaque populi in seditionis & pervertendæ religionis suspicionem *CHRISTUS* ipse venisset, ad flagellationem, acre tormenti genus, eundem quoque damnaverit: sed quoniam fuit Syriæ rector idem, ceterique pro consules, natione Romani, qui in illa provincia, suæ gentis more, delicta publica tractabant, remanet non fori iudaici rogatione aliqua, sed Romanæ gentis arbitrio, illam cum imperio consuetudinem inventam fuisse. Quid? quod licet loris & virgis viam tentaverint *Romani*, qua in mastigiarum conscientias penetrarent. In servos enim idem, quod in bruta animantia juris sibi permettebant; ab illa lege tamen liberos homines exemptos fuisse; & ante solennem damnationem, nullam in terga reorum laxitatem exercendam esse, *Pauli* versus edictum Tribuni protestatio (a) satis superque docet: gentis dominæ legi & consuetudini isti temere non iturus obviam, si ad confessionem delicti proficere conturam, eandemque cum justitia naturali con-

(a) *Actor. XXII.* 28. seq.

sentientem vidisset, agnoverisset. Apud Græcos, non modo servos sed & potentiores liberos, si quam cogitati aut perpetrati sceleris suspicionem de se movissent, fidiculis nullis non laceratos fuisse, testimonia historicorum multa docent; exemplo plane & omnino non improbando, quatenus potentiores cum tenuioribus, juris & justitiae æquitate cùdem conuneri, non plebeios peccantes solum, sed & divites & opulentos valetudinario eodem compingi voluerint; quidquid fecus senserit Hermolaus apud Curtium, Alexandrum regem temerè accusans, quod ducces exercituum, præterquam morte affectos, inequum quoque impoluisset.

#### §. IV.

**A**ltiochum Epiphanem, quem epimanem, verius nominaveris, præ ceteris Iudeæ gentis tyrannis, in excogitandis diversis facitæ generibus, ingeniosum fuisse, Josephus refert, præunte, sine dubio libri de gestis Maccabæorum auctore. Et quisquis de taurini corii scuticis in audiverit, de lartaginibus, & ollis æneis, certis que gentium abominationibus, crudelitatis apparatu romano, non multo mitioribus, quibus

bus tyranni gentis illius Judæorum in religione constantiam per vincere studebant, infamis artificii & instituti hujus inventionem iisdem non facile quisquam invidebit. Qvo vero tempore apud Romanos eqvulci ulus primum intencere coepit, adeo non adhuc ad liquidum perducta res est. Sunt qui Tarquinium Superbum, sicut carceris & latomiarum: ita qvoque instituti infelicissimi hujus auctorem esse volunt, neqve illud sine ratione. Ad stabiliendum dominatum grassabatur ille flagris in terga superhè: itemqve cædibus in services civium suorum: istaque principatus & imperii insolentia, cum se non misi odium & invidiam civium suorum promereri vidisset, ne insidiis apertam portam prodiceret, parricidii suspeçtos, si qui offerrentur, ut non de se modo confiterentur, sed & complices manifestarent, qvætionum genera multa adinvenisse & in medium adhibuisse, perqvam veri simile videtur. qvamvis qui in necem Tarquinii Prisci conjuraverant, parricidas, tormentis Nam antea admotos & ad confessionem coactos fuisse, ex Dionysio Halicarnass: in promptu sic videre. Et ne procelsum istum posteris,

isdemque cultioribus temporibus expirasse, quis  
sibi persuadeat, ad suum usque ævum perdu-  
rare auctor ad Herennium non obscure signi-  
fi erat, cum de majoribus suis, viris post N.C. illus-  
tribus scribit, quod veri inveniendi caussa, cru-  
ciatibus atque tormentis quæri voluerint, &  
summo cum dolore cogit homines, ut quidquid  
scirent, dicerent.

## §. V.

**N** Christianis primorum temporum, ordinem  
hunc processus criminalis rigide observatum  
fuisse, quæ superlunt novellæ ecclesiæ monumenta  
profana quoque loquuntur. Quamvis enim  
multi fuerint praesides provinciarum, praesertim  
in illo lucis atque tenebrarum confinio, a san-  
gvine Christianorum abhorrentes; qui proinde  
ineptum putarunt obstinationem non in scelus,  
sed diversam saltē Numinis colendi formam  
tormentis flectere velle, quamvis fuerint illi ne-  
que numero pauci, qui remedium insontibus  
suppeditarint, quomodo responderent delati,  
cum ad tribunal eosdem seculi supersticio vo-  
caret. Fuere tamen alii, qui non minas inten-  
gavere modo, sed constantiam religionis omnem,

a receptis sacris abhorrentem, obſtinationem  
adversus imperium inflexibilem interpretari non  
veriti sunt. Atque istius sub pietatis specioſo,  
quamvis falſo nomine, ad ſubieundem judicium,  
Christianorum multi fūt adacti; ſemelque exci-  
tata cauſæ inqviſitione, qvotqvot implicarentur  
nexibus iisdem, barbaræ ſuperftitionis nomine,  
in qvæſtionem dati primum; mox longa & ex-  
qviſitissima tormenta traditi fuerunt. Ante Tra-  
janum imperatorem, ſicut romanum civium tor-  
quere lege prohibitum: ita ſervum quoqve folli-  
citare tormentis in caput Domini fui, impium  
habebatur. Illo vero regnante, qvia in crimi-  
ne majestatis & perduellionis, torqueri cœpere  
ſervi in odium dominorum suorum, & qvicum-  
que diſſiderent religione, pacis & majestatis pa-  
triaꝝ turbatores haberentur: inde in ſervitia pri-  
mum, de hinc ipſos quoqve dominos reli-  
giosi criminis ſuceptos, tormentis inqviſire cœ-  
ptum fuit. Plinius ſecundus Bithyniæ procon-  
ſul moderationis judicii, licet alias inter ſuper-  
ftitiones & facinorofos diſtingvere per quam  
bellè noverit, in coitiones ſacras Christianorum  
neque ille tamen inqviſire intermisit: tradens

ad tormenta ipsa quoque seqvioris sexus ministeria, ut quid veri inesset, facilius discerneat primum, & mox, lata fori sententiâ, detergere posset.

## § VI.

**N** Christianam Romam ferum & barbarum morem istum vetus & gentilitia derivavit. quin, neque refragante seqvioris XVI papa, factum, ut imperium Romano-Germanicum invaserit. Apud veteres Germanos, illos puta, qui Gotho-Danici sinus viciniam, ab utrinque tenent, quemadmodum apud Arraganios & alias moratores gentes, nullo modo usitatam fuisse torturam, Thomas Schmitt, Anglicani populi sub exemplo probare annitur. In Anglia vero cum pro servili & libero homine indigno more habeatur inter torquendum elicere alicui confessionem; quin, ab Anglis Saxonibus, uti notum, repetant illi, qui hodie sunt Angli, suam quoque originem: apud Germanos per adeo non multa secula ferum & barbarum morem istum in usu fuisse, historicus idem non obscurè indiget videtur. Et certe, qui veterum Germanorum criminale forum multis descripsit Tacitus,

in illa recensione criminum & constitutæ multiplicis animadversionis, processus per dolores eliciendæ confessionis, mentionem nullomodo intermisset, si qua in illorum judiciis palam obtinueret. Servorum meminit, quod non nisi rarissimo exemplo vinculis & verbere illos coercerint. Si leges distringi voluerint flagra adversus liberos peccantes ad pervingendam eorum negandi pertinaciam, morem gentium istum, ecce rem majoris momenti, certe non omissurus fuisset.

## §. VII.

**V**ulnera, quæ pridem ecclesiæ fuerunt, invitus attingo. Esse inter illos actus, qui minas & imperium, vim & necessitatem humanam omnem effugiant, religionem principiæ loco ponendam, omnes consentiunt. Corpore subditum quis facere potest. ut sponte & libenter in illa jura concedat; ut credat & cum affectu diligat, quod animo improbat atque fastidit, vi nulla equuleove tortore effici potest. Quomodo gentiles principes & injustissimi reipublicæ administrari eorum, sub specie justitiae & provehendæ pacis publicæ, crudelissima tormentorum genera versus avitæ, hoc est, dominantis & catho-

catholiceæ religionis suæ refractarios servos atque  
dominos excogitaverint, modo diximus. In  
ecclesiâ, quamvis ab initio torquere privilegiatas  
personas perinde illicium fuit, in crimine læse  
majestatis tamen & quidem præcipue hæreseos,  
quaे priori æquiparanda erat, ab eqvuleo nemis  
nem exēptum fuisse, quaे pridem fuit, ecclie-  
sæ fasti consentiunt universi. Cum processu in-  
quisitorio cœpisse, saltē ex eodem, seu fonte  
dimanasse, non est quod inficias ire aut dubi-  
tare quisquam possit. Potius sicut idem ille  
processus (cujus sub primis imperatoribus præ-  
Iudia quædam irrepisse non negamus) non fu-  
bito sed pedetentim orbem Christianum invaserit  
ita idem existimandum quoque de doloribus adhi-  
beri solitis ad cruenda religiosa crimina, quod ab  
initio ratus; unâ cum monarchiâ ecclasiast: verò,  
quo magis illa in immensum augeri cœperit,  
tanto magis hujus, torturæ puta, usus etiam ma-  
gis magisque, invaluerit. Quæ verò tyrannis  
& justitiae confusio universalis per illa monstratur  
& cruda genera multa inquitendi in hæreti-  
cam pravitatem, inventa fuere? in aliis crimini-  
bus, accusator atque testis idem nemo esse po-  
tuit

tuit. Non criminosum criminosus accusare, neque si patrem filius deferret, fidem in foro ullam invenire potuit. Verum in religiosis criminibus inquirendis atque vindicandis illegalia & enormia quæcunque pro norma habebantur atque ratione. Ibi non in levissimiis solum, sed & illis, quæ graviora videri voluerunt, testis & delatoris &, quod mireris, judicis quoque personam, etiam si jure nullam haberet jurisdictionem, puta si clericus esset, unus idemque sustinere potuit; hodieq; potest, si zelo fervens pharisaico ipse sibi falso persuadeat, qvod non sit calumniator. (a) qvem vero in culpam maligna sors sua vocaverat, illum palis affixum & lentiis tormentibus, ad confessionem usq; exccruiatum fuisse, annalium non inficienda fides, & qvæ pe.

(a) In illo foro judicis auctoritas, ad dictatu-  
ram Canonum, nisititur mente PAPÆ inenarra-  
bili, a quo suscepimus est officium: Et deinceps  
de doctrina S. THOMÆ, qvæ sola est igne  
Spiritus Sancti examinata Et purgata, Et sumo  
mi philosophorum principis ARISTOTELIS sen-  
tentiis decorata; Boehmer: Jurispr. eccl. IV.  
p. 1124.

penitus non adhuc aboleri potuere veteris processus reliquiae, testantur. (b) Utrum vero ea, quae olim versus mundi potentes præcipue intendebatur excommunicatio, eosque infames & intestabiles, h. e. divinarum humanarumque rerum communione indignos effecit, usque dum invalescerent pietatis Zelo remissa manus eorum, factis in equuleo questionibus annumeranda sit, nostram in praesentia controversiam non facimus. Erit de illo torturæ genere locus disqvirendi, cum de parili principi, eodemque usitatissimo alios principes subigendi genere, ejusque moralitate dicendum venerit.

### §. VIII.

**A**d ignem probare suspectos & per calcatos agestatosque vomeres candentes, certum tacere velle incertum, non nationibus sub arce soluni, sed & cæteris inhabitati orbis gentibus paganis atque Christianis in usu fuisse, constat.

In

(b) Processum ejusmodi, quo docentur magis quam carentur peccata, Hispani ipsi theriacam ecclesiasticam Ⓛ Amelotus in Tacit: venenum tranquillitatis publicæ appellat. adde sis Netzelbladii biblioth. Svetb. V. p. 148.

In causis cum criminalibus, cum quoque statutis, puta si quæ de nascendi sorte controversia existeret, ordaliorum species diversæ introductæ fuerunt. Illa vero quæ per ignem fieri solebat, viris ecclesiasticis in primis debetur, occasionem Poppone thaumaturgo ferente, Danorum apostolo; postquam de eodem fama percrebuisse, quod gemino per ignem probationis genere defunctus, dubiam doctrinæ veritatem miraculo comprobasset. (a)

(a) Papismo durante reginas E<sup>3</sup> reges, ne quid de privatim delatis dicam, probationis genere isti subjectos fuisse plurimos, exempla multa docent; eorum vero alios rite se purgasse, alios in contrectando vehementer semet exussisse, juxta quoque legitur. Quid vero de Popponis illa ferri gestatione, utrum ferri ignitivum naturalem, ne illa se exereret, supranaturali modo D<sup>E</sup>US cohibuerit, utrum vero præstigia, E<sup>3</sup> a superstitionis hominibus in prodigium tractum sit commentum, aneps est disceptatio. Quæ in genere Hug: Grotii benigna sit sententia de examinibus ad tactum ignitorum pomerum institutis, (b) in specie vero Daniæ gen.

gentis virorum eruditorum Arnkielii [b]) Moller (c) judicium de omnibus, qui divinitatem facti hujus in dubium vocare ausi fuerint, scripta illorum loquuntur. Sed cum de tempore quo proditum, loco, quo celebratum fuerit miraculum, itemque super aliis circumstantiis non convenienter scriptores fere coævi: omnisque argumentandi nervus Doctorum resolvatur in primis in virtute Divina, non, quæ successere seculis, magis quam prioribus illuc immunita: Nos vero, cum quæ, decimo sequentibus seculis temerandi annales, quæ nunquam contigere, iisdem infaciendi, sacrificiorum licentia fuerit, recognoscimus: quomodo ad spirituali dominationem nullis non anathematis mis superstitionibus grassati fuerint: nisi speciosa præter morem gesta tantum non oraria, quibus luxuriant martyrologia avi illius, pro genuinis habere voluerimus, de Poppone dixerimus, incertam esse omnem de veritate miraculi illius lactationem scriptorum: saltem non male judicasse Oernhielmum, cum de dissensu scriptorum Danicorum asserit, quod miraculis ejus, omnem prope fidem ipsi detrahant. Quod

ad ceteros autem, ut puta civitatum rectores, qui ad levandam invidiam tyrannidis, temeritati legum civilium quoque religionem prae-  
xunt, apud plerasque qua, hodie sunt, gentes  
damnari consilium eorum, neque sine scelere &  
impietate in usum amplius revocari posse, per  
se quisque videt.

- (a) Libr. de veritate relig. Christian. I. 17. fin.
- (b) Cimbrische Heiden bekehrung p. m. 205.
- (c) Isagog. in histor. Cimbriæ eccl: & literar. II. p. 76.

### §. IX.

**O**MNES non ad chorūm & finūm ecclesiæ spe-  
stantes homines ad inquisitionis tribunalia,  
omnem saepe humanitatem exsuperantia, perni-  
nuisse, modo diximus. Eodem utrum clericū per-  
tineant, an vero inter privilegiatas personas lo-  
cum olim meruerint & hodie quoque merean-  
tur, dubitari potest. Ex tententia Augustini,  
seculi V. patris, si homicidæ essent, a tortura  
non immunes erant. qualia vero seculis, quæ  
successere, & quam late patentia fuerint privi-  
legia eorum, postquam leges politicas corrigen-  
di & emendandi facultatem obtinuerint, item  
que jus sibi vindicassent laicos denunciandi;

vero

vero proterviæ lasciviæque accusandæ potestatem laicis omnem penitus ademissa est, notissimum est. Prout minus sagaces etant primicerii ordinis illius ad videadum & dignoscendum ea omnia pericula, in quæ vocantur homines abs peccatis illorum, & proinde peccantibus iisdem non nisi leviores, easdemque sœpe ridiculas pœnas irrogabant: ita ad confessionem culpx, si quæ adhibitæ fuerunt quæstiones, easd: patienter, non acerbè, verum bono, quod dicitur stomacho concitas fuisse nemo dubitat. In protestantium civitatibus autem, si qui graviter deliquerint sacri ordinis viri, imperio ciusque foro criminali remittantur, indicisque gravioribus onerati, torturæ alicubi etiam subjici solent. Nempe cum non reddi possit ratio idonea, cur de publicis criminibus accusati illi, a tortura immunes esse debeant, cum aliis fortè eandem, vinculo taltem atque carcere experiri solent, ut bene ligati sublatum ire queant dedecus, quod ecclesiæ & civitati moribus suis dissolutis instulisse visi fuerint.

## §. X.

**F**lagra & flagella inter instrumenta jam ante retulimus, quibus directores conscientiarum

equulei machinam identidem adornare solent, ut, cum ceteris, non illa minus hæreant in oculis, in promptu & ad manus præsto sint, cum tergum, ceu *culcitram vibicibus* subjiciendam, (a) prætor ipse jusslerit. Fiebat impetus ille pridem reluctante, & non raro quoq; dominante conscientia rei. Unde quid de Romanensium flagellatione spontanea judicandum sit, promptum est videre. Proruunt illorum non pauci in insanas corporis sui dilacerationes, vim vitæ suæ sanitatiqe inferunt, sanguinemque, qui disciplinæ rigore & religioso patiendi desiderio isto effunduntur, peccata expiare, atq; ad regnum diaboli destruendum non minimum conferre sibi persuadent. *Hypopiasmum* Pauli, (b) qui stigmata Christi se in corpore portare insuper etiam ait, (c) auctoritatem superstitioni vanissimæ suæ præferunt. Sed cum a gentilium sacris homogenea & heterogenea multa derivarint sectæ illius complices, hominibus extra ecclesiam *ματαιότατος ισελοθρησκίας* illius proxime deberi, vero magis simile videtur. Celebrabatur apud Lacedæmonios olim, idq; singulis annis festum *diapæzynώσις*, in quo ad Dianæ aram flagris cædeban-

bantur pueri (ne de feminis in honorem Bacchi se insigniter flagellantibus quid dicam) ea-  
que non alacres solum tolerabant, sed de vi-  
ctoria invicem quoque certabant, in eo pos-  
tā, quis vulnera diutius magisque corpore suo  
perferre posset.

In quantum verò divinam legem & meriti Chri-  
sti sufficientiam Lytri offendat canonica pap-  
colarum disciplina isthac, fori aliis est decer-  
nere. Nosmet in foro politico occupati, cum  
noverimus torturæ, sicut poenæ principem, si non  
unicum finem esse, saltem esse debere, ut ad a-  
gnitionem & abstinentiam à peccando, qvorum  
interest, pervenire queant: in illorum vero fra-  
trum cucullatorum passione, qvatenus in se flagra  
ipsi deposcunt, & sine dolore quoque sustinere  
aliis videri volunt, adeoque id, qvod formam  
& finem sanctionis constituit, nullatenus obtine-  
ri possit: de ditione in eqvuleum spontaneâ hac-  
ce ejusque indolentia & intensibilitate concludi-  
mus, dorso stultorum non male convenire. (d) Ve-  
rum cum sine præcepto fiat, neque criminis a-  
licius civilis excutiendi caussa instituatur, tor-  
turæ propriæ sic dictæ speciem nullo modo con-  
stituere

stituere , adeoque ab illa classe penitus & omni-  
no expungendam esse.

(a) In quantum pœna tormenti gemina species illa,  
qua penes Moscovitas in viridi usus est , cum  
illa pristina exterarum gentium conscientia excus-  
tienda consuetudine conveniat , illi dicant , qui ,  
quid tortores gentis ejus sibi permiserint ; e con-  
tra vero sustinuerint illi , qui criminis alicuius  
delati essent , oculis ipsi suis non multo ante in-  
spexerunt .

(b) 1. Cor. IX. 27.

(c) Galat. VI. 17.

(d) Proverb. XXVI. 2.

### §. XL

**A**dversus eos , qui in foro criminali civili au-  
res suas obturant , ne quæstorum incan-  
tationibus avulcent , equuleum ad moveri solere;  
itemque de pollutis sacris (a) quæstiones apud  
gentiles atque Christianos institutas fuisse , jam  
ante diximus . Sed quænam sint , & quot nu-  
mero fuerint delicta illa , ad quæ erienda equu-  
leus in partes vocabatur , adeo non promptum  
est decernere . *Homicidium , parricidium & ra-  
pinam secularium criminum , instar omnium e-*

ranc

rant, ad quæ manifestanda equum satellitum atque ministro uti potuit quæstor. *Hæresin & Simoniam*, ceu rem sacram ad forum & peculium suum religionis periti traxerunt, sed quibus aliorum criminum infinitum cumulum, ævo progreidente, armata superstitione adjecit. Facit illorum mentionem prolixam *Boehmerus* ex illo Romane ecclesiæ magno bullario; cum adjecta epicrisi venustâ & fatis gravi illa, quod in ista serie crimina multa sint, quæ plane ignoret senior jurisprudentia meliorq: philosophia. quin, neque pauciora illa esse dicit, quæ pro gravissimis habeat forum seculare, virtutis autem speciem induant in republica ecclesiastica. *Boehmeri* testem & interpretem *Thomasius* agit, cum quæfitores ecclesiasticæ pravitatis reprehendit, quod vitia in hominibus excutiant illa saltem, quæ voluptatis sunt, quæ fere omnium, honestati vel minimum addictorum detestationem incurront: Zelum intempestivum vero, traudes pias, hypocrism altam & apertam, profundam dominandi libidinem & auctoritorum pia genera ut plurimum vitiola, una cum aliis, in quibus culpa inest maxima, non nisi ex longinquo adspiciant

ciant & obseruent, Memet cum ad illas lineas oleasque expatiari non permittat institutum, qui de criminibus ad inquisitionem & eqvuleum spectantibus, plura scire desideraverit, Boehmerum ipsum ejusq; parastaten Thomasium citatum conveniat. alterum in suis de iure eccl. siastico protestantium commentariis; hanc autem in illius, de processus inquisitorii origine & fatis, prorsus egregia dissertatione.

(v) Sueton. Jul. Cap. 6. fin.

§ XII.

**S**pecies torturæ divertas olim & hodie usitatas recensere, earumque apud varias gentes diversimode institutarum numerum inire velle, idem esset atque certa facere velle ea, quæ per se incertissima sunt, aberrationum a linea modos omnes, omnes prævaricationes legis, in digitos mittere velle. Quo enim in republica imperium proprius abest a tyrannide, eo quoq; questionum usum freqventiorem, earundem varietatem & acerbitatem majorem usu venire, res est in proposito posita. Tyrannorum in imperio romano morem fuisse excutiendi, & si fieri possit, abolendi conscientias eorum, quos suæ ty-

tyrannidi imminere suspicarentur, *historia augustæ* scriptores passim loquuntur. De seculis, quæ nos proprius attingunt & quidem præcipue *Hollandis* dixisse sufficiat, quod apud eos subtilius quoddam torturæ genus sit receptum, nempe admovent reo custodem, qui eundem dormire volentem, perenni compunctione a somno prohibebit. Torquentur in nonnullis *Westphaliae* locis vicinis, veneficæ aquæ frigidæ & calidæ per vices facta adspersione. A nostris finibus non procul, sunt qui miseri hominis summo vertici aquam, ex edito quocunque loco, guttatum affundunt: inque cranio tantum inde doloris sensum excitari & sensim augeri volunt, ut ad confessionem delicti non alius dari modus acrior, aut excogitari possit. Christianos lataeis aut papyraceis vestibus olim induere gentiles, easque sulphure atque pice illeverunt; ut inter gemitus & ardores id quod vellent, non psallendum sed maledicendum Christo eosdem compellerent. Confirmandæ religioni inventum idem posteris seculis miraculo inserviisse, *Poppo gentium penes nos doctor* (de quo antea) suo exemplo docet,

qui tunicam indutus ceratam, incendi vestem  
& in favillis redigi sine noxâ sustinuit. De  
jejunio, quomodo inter genera torturæ varia.  
eaque gravissima, quibus inquisitores hæreticæ  
pravitatis suspectos de hæresi vexaverint, ecclæ-  
siæ suæ receptum fuerit, Janus Langens in se-  
mestri libris, non præter rem consuli meretur.  
In ecclesia Svecana eundem neqve reprobatum  
fuisse morem inquirendi in hæreticam improbita-  
tem, Vadstenense diarium (a) apertissime indicat;  
idqve sub exemplo Hemmingi cuiusdam plebeji  
viri. Eundem, cum fratribus monasterii articulos  
nonnullos proposuisset, quorum alii contra fidem  
Catholicam, alii contra decreta Sanctorum, aliqui  
contra regulam Salvatoris essent concepti; ipse  
vero (Hemmingus) beatæ virginis nuncium &  
apostolum semet venditaret, ad episcopum pri-  
mum mox carcerem, qvorum intererat, able-  
gaverunt, ubi jejuniis confessus ad revocandum  
articulos suos omnes, pœnitentiæqve semet subji-  
ciendum, necessitate urgente ultimâ compulsus  
fuit Jocularis licentia scenam, qvalem ador-  
navit sancta seculi simplicitas, exhibere, tanto

(a) Diarium Vadsten. p. 87.

a re

re præsenti minus alienum videtur, quanto vacor-  
diam pietatis, qvæ majorum animis regna-  
vit, novisse, idem est atq; ad  $\lambda\sigma\gamma\mu\pi\eta\lambda\alpha\zeta\epsilon\sigma\alpha$ , qvam  
Paulus commendat, homines postliminio revo-  
casse. Ita verò de pœnitentiâ Hemmingi mo-  
do memorati auctor idem loquitur: processionem  
episcopo, clero & omni populo facientibus extra ec-  
clesiam, ipse nudatus usq; ad cingulum portavit  
struem lignorum in dorso & candelam ardentem  
in manibus. subsequendo & protestando, qvod ad  
ignem deberet pro errore suo judicari, et-  
iam si in errorem reincideret.

S. D. G.

